



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

VII. Erzbischof Willbrand von Magdeburg bestätigt das Kloster Trebnitz im Besitz seiner im Lande Lebus in der Gegend von Müncheberg gelegenen Güter, am 30. April 1244.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

benedictionem. — — Mansos, quos nobilis uir Henricus, Dux zlesie, in Territorio Lubucenfi et eorundem Mansorum, ac de platkou decimas, quas venerabilis frater noster Episcopus et dilecti filij Capitulum Lubucense, sicut spectabat ad eos, uobis et Monasterio uestro pietatis intuitu liberaliter contulerunt, prout in instrumentis eorum inde confectis dicitur contineri, sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis, uobis et per uos eidem Monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum — — Datum anagnie V. Id. Septembr. pontificatus nostri anno Septimo.

Wohlfürst I, 112.

VII. Erzbischof Willbrand von Magdeburg bestätigt das Kloster Trebnitz im Besiß seiner im Lande Lebus in der Gegend von Müncheberg gelegenen Güter, am 30. April 1244.

Wilbrandus, de j. gracia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, vniuersis Nobilibus, Fidelibus et Ministerialibus Magdeburgensis ecclesie presentes litteras inspecturis, Salutem et omne bonum. Cum ecclesiastica defensione merito gaudere debeant et tutela ea, que ad usus pauperum sunt specialiter deputata, notum esse uolumus christi et ecclesie nostre fidelibus vniuersis, quod nos — — ecclesiam religiosam et locum venerabilem in Trebenitz, scilicet in quo cottidiano obsequio famulantur altissimo serui eius, cum personis, rebus mobilibus et immobilibus, villis Trebenitz, Januelde, Bocholt, Goleistorp, Grangiis, aquis, pascuis atque pratis, que in nostro dominio nunc jure possident aut sunt auctore domino in posterum possessuri, ea precipue que in terra Lubus nomine et auctoritate Magdeburgensis ecclesie iam ceperunt, in defensionem et protectionem nostram recipimus, et nostra omnimodis protectione gaudere volumus atque pace. Volentes igitur ut dicta ecclesia contra eos, qui suis nituntur possessionibus aduersari, huius nostre tutele se remedio tueatur, nostris specialiter fidelibus, qui Magdeburgensis ecclesie fidelitatis sunt et obsequii debitores, demum christi fidelibus vniuersis in remissionem iniungimus peccatorum, ut sepe dictam ecclesiam in iuribus et possessionibus non offendant, imo ipsam dei et nostre dilectionis intuitu protegant et defendant: Ad euidentiam igitur protectionis nostre presentem paginam conscribi fecimus et Sigilli nostri munimine roborari. Datum anno gratie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLIII<sup>o</sup> Nienburch, pridie Kalend. Mai, Pontificatus nostri anno Nono.

Wohlfürst I, 31.